

MIXTURA SULPHATIS FERRI GUMMOSA.

- ℞. Sulphatis Ferri sesquidrachmam,
Gummi Arabici unciam unam,
Aquaе purae bullientis libram.
Dissolve, et cola.

Dosis à drachma ad semunciam.

CAPUT XXXVI.

ACIDA.

ACIDUM ACETICUM.

(Acetum Radicale.)

- ℞. Acetatis Cupri Crystallizati libram unam.
Distilla vehementi igne in retorta vitrea ex
arena S. A. Liquorem rursus distilla leniori ca-
lore ferè ad siccitatem.

ACIDUM ACETOSUM.

(Acetum Distillatum, seu Spiritus Aceti.)

- ℞. Aceti optimi Q. V.
Distilla in retorta vitrea ex arena, et cessa
simulac tres quartae circiter Aceti partes pro-
dierint, seu antequam empyreuma contrahat.

N. B. A Chymicis recentioribus hoc Acidum ejusdem naturae praecedentis censetur, et ACIDUM ACETICUM AQUOSUM VOCATUR.

ACIDUM MURIATICUM.

(*Spiritus Salis Communis seu Marini.*)

℞. Muriatis Sodae libras duas,
Acidi Sulphurici libram unam,
Aquae libram semis.

Sali in retortam vitream immisso Acidum palatim affunde, atque ex balneo arenae in excipulum, in quod Aquam antea immiseris, distilla donec nulli amplius vapores appareant.

Dosis à guttis quatuor ad decem.

ACIDI MURIATICI CORRECTIO.

N. B. Quia apud Mercatores Acidum Muriaticum purum non semper existit, et luteum, impurum, et adulteratum nobis aliquando venditur, caute, et non sine correctione interne usurpari debet: quapropter sequenti modo corrigitur.

Acidi Muriatici Mercatorum libras quatuor,
Carbonatis Potasse uncias quatuor.

Mitte in retorta vitrea capaci, cum suo
receptaculo amplo, junturis obturatis, et in
balneo arenae ad siccitatem distilla.

ACIDUM NITRICUM.

(*Spiritus Nitri Acidus.*)

℞. Nitratis Potassae purificati libras duas.
Acidi Sulphurici libram unam,
Aquae libram semis.

Procede, uti in extractione Acidi Muriatici.

ACIDI NITRICI COMMUNIS CORRECTIO.

(*Aquae Fortis purificatio.*)

N. B. Acidum Nitricum numquam fere
in officinis nostris conficitur; sed quia Acido
Sulphurico, et Muriatico à Mercatoribus mis-
cuitur, et adulteratur, sequenti modo corrigi
debet

℞. Acidi Nitrici Communis libras octo,
Nitratis Potassae purissimi uncias duodecim.

Distilla in retorta vitrea, uti in Acidi Muriatici Communis correctione.

Alio modo fieri potest

Acidi Nitrici Communis Q. V.

Nitratis Argenti Liquidi guttas aliquas.

Instilla paulatim donec nulla Muriatis Argenti nebula appareat, nec praecipitetur; postea per decantationem separa, aut distilla, ut supra, cavendo à radiis luminosis quia perfectionem hujus operationis impediunt.

Dosis ad guttas octo Aqua dilutus.

ACIDUM SULPHURICUM.

(*Oleum Vitrioli.*)

℞. Sulphuris triti uncias viginti,
Nitratis Potassae pulverati uncias duas.

Hujus mixturae pauxillo reple ad medietatem cochlear ferreum: accende, immitte in excipulum vitreum, magnum, horizontaliter in arenae balneo positum, et amplioris orificii, in quod prius immiseris, et calefacieris aquae uncias sex. Orificium occlude cochlea-

ris manubrio in obturamenti formam desinente. Ubi mixtura ardere desierit, cochlear extrahe, altero cochleari suffecto; operationem iterum, atque iterum repete, donec omnem mixturam exhausteris. Liquorem vapora per retortam, donec ita concentratur, ut vas, eo plenum, dimidium aquae pondus vix capiat.

N. B. Hujus pondus specificum est ad pondus Aquae Distillatae, ut 1850 ad 1000; seu (quod eodem recidit) vas quod Aquae Distillatae uncia repleat, capiet hujus Acidi quatuordecim drachmas, et quinquaginta duo grana.

ACIDUM SULPHURICUM AQUOSUM.

(*Spiritus Vitrioli Acidus.*)

℞. Aquae communis distillatae uncias octo,
Acidi Sulphurici puri unciam unam.

Mitte Aquam in phiala vitrea, et instilla acidum guttatim, continue movendo, cavendo ne vas calore rumpatur; postea digere, et serva ad usum.

ACIDI SULPHURICI CORRECTIO.

N. B. Acidum Sulphuricum, nigrum, impurum, et aqua supersaturatum novis venditur; tunc sequenti modo dealbatur, et concentratur.

℞. Acidi Sulphurici Communis libras octo.

Nitratis Potassae uncias quatuor.

Mitte in vas vitreum, amplum, et in balneo arenae vapore, donec diaphanum, album, et consistentiam oleosam referat: post refrigerationem acidum decanta, et serva ad usum. Sal qui infundo petit Sulphas Potassae verè est, qui solutionis, et crystallizationis ope purificatus, ad usum deservire potest.

ACIDUM BENZOICUM.

(*Flores Benzoini.*)

℞. Benzoini electi crassiuscule triti Q. V.

Mitte in ollam figulinam, capitello tympaniformi, aut chartae cono instructam. Sublima igne leni. Vas ab igne remove: flores collige, et sublimare perge, donec nulli am-

plius flores ascendant. Tunc eorum uncias duas dissolve in Aquae ferventis libris tribus, filtra, et refrigerato liquore, in vase patulo concrecent crystalli, quas exsicca, et serva.

Dosis à granis sex ad semisrupulum.

ACIDUM OXALICUM.

R̃. Acidi Nitrici purissimi libras octo.

Sacchari Albissimi pulverati libram unam.

Mitte in vas vitreum amplum, loco calido, et Saccharum paulatim super affunde, et digere per dies duos; mixturam aliquando agita, cavendo vapores rubros, quia suffocantes, et obnoxii sunt; postea decanta, et vapore in urinali vitreo ad libras duas; repone loco frigido; ut crystalli concrecant; liquorem per decantationem à crystallis separa, rursus vapore, et procede ut antea, donec uncias sex plus minusve Acidi crystallisati obtineris. Omnes crystallos aqua distillata dissolve, et crystallisa S. A.

Dosis ad scrupulum unum.

ACIDUM BORACICUM.

(Sal Sedativum Homberg.)

℞. Boratis Sodae uncias quatuor,
Acidi Sulphurici puri uncias duas,
Aquaе Communis libras quatuor.

Solve Boratem in aqua, et filtra; postea vapore ad tertiae partis consumptionem, et adhuc ferventis adde acidum paulatim, et vapore balneo arenae ad pelliculam; postea ab igne separa, et semirefrigerato liquore, Acidum Boracicum in squamarum forma crystallisatum ab eo per linteum separa, triplo aquae ponderis ablue, sicca, et serva ad usum. Liquor est verus Sulphas Sodae, qui per evaporationem, solutionem, et crystallisationem purificatur, et ad usum deservire potest.

Dosis ad grana octo.

ACIDUM SUCCINICUM LIQUIDUM ET CRYSTALLIZATUM.

(Sal Volatilis, et Spiritus Succini.)

℞. Succini triti libras duas,

tt

Distilla ex retorta fictili, vel vitrea loricata, ignem sensim augendo, donec nihil amplius ascendat. Oleum à Liquore Volatili per chartam bibulam, priùs aqua madefactam, ope infundibuli separa, et ex aqua rectifica. Acidum concretum in collo retortae cum duplo Aquae distillatae pondere coque, et repone, ut fiant crystalli. Acidum Liquidum etiam per evaporationem crystallizatur.

Dosis Acidi Liquidì à semiscrupulo ad semidrachmam. Acidi Crystallysati à granis decem ad grana viginti. Olei à guttis quatuor ad guttas octo.

CAPUT XXXVII.

LIQUORES SALINI.

POTASSA LIQUIDA PURA SEU CAUSTICA.

(Oleum Tartari per deliquium.)

℞. Potassae Purae seu Causticae uncias duas,
Aquae distillatae unciam unam.

Dissolve, et filtra.